

*Ruggero Ruffo fa dichiarare falsa
una convenzione tra il padre
Enrico e fra Fulcone di Paucapalea*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Ruggero Ruffo fa dichiarare falsa
una convenzione tra il padre
Enrico e fra Fulcone di Paucapalea*

1331-04-21

In nomine Domini Amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo primo, die vigesimo primo mensis aprilis, quarte decime inditionis apud terram Sinopoli. Regnante serenissimo domino nostro Rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Folcalquerii, ac Pedemontis comite. Regnorum suorum anno vigesimo tertio feliciter amen.

Nos Nicolaus de protopapa iudex rerre Sinopolis, Petrellus de Guizzarano regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per curiam ordinatus, et testes subscripti ad hoc vocati, specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod constitutus in nostra presentiam egregius vir Rugerius Ruffus de Calabria, dominus Calimere et pheudi Bonensium, presentibus coram nobis Nicolao de Regio, Theodoro Silipigni et Nicolao de Presbytero Gulielmo, de Sinopolo, asseruit coram nobis, nuper ad sui pervenisse notitiam quod predictus Nicolaus de Regio, Theodorus Silipigni, ac Nicolaus de Presbytero Gulielmo, contra veritatem, ac etiam contra conscientiam et notitiam eorundem, testati sunt seu subscripserunt cuidam instrumento publico facto, seu scripto, ut ponitur per iudicem Iacobum de notario Gregorio publicum, ut ponitur terre Seminarie notarium de quibusdam convectionibus factis, ut asseritur olim inter viros magnificos quondam dominum Enricum Ruffum de Calabria, Sinopolis dominum, ipsius Rugerii patrem, et dominum fratrem Fulconem de Paucopalea Sacre Domus Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolimitani in Sancta Euphemie priorem, de quibusdam bonis, que eundem dominum Enricum tenere asserebat ab ipso Hospitali

in tenimento Calimere, et veritate mutata idem iudex Iacobus falsi scripsit instrumentum per eum, ut asseruit de conventionibus ipsius facto dictum dominum Enricum convenisse cum priori iam dicto, expressim de domo, seu palatio Calimere, eiusque tenimento quod fuit contrarium omnino veritati. Requireas testes expressim supra nominatos, ut coram nobis exponenti predicta conventio que scripta ponitur per eundem iudicem Iacobum fuit facta et habita in eorum presentia inter dictos dominum Enricum et priorem iam dictum. Qui Nicolaus de Regius, Theodorus, et Nicolaus supradicti, nostri constituti presentia, respondentes repetitionis et requisitioni dicti Rugerii dixerunt, et asseruerunt nobis, presentibus ac etiam iurantes ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, eorum iuramento firmaverunt sponte, et voluntarie se numquam predictis interfuisse conventionibus, numquamque ipsas conventiones scripsisse, seu audivisse, scire vel audire celebratos inter partes easdem, seque ipsi scripto subscripsisse terrore, atque timore eis ingesto, et posito per Iacobum de Alitario, qui se executorem asserebat generalis capitani Ducatus Calabrie, tenetis testes eosdem, ac mandantis, ut subscriberent scripto, seu instrumento iam dicto. Precipui cum tempore subscriptionis ipsius falso idem Iacobus, eos deceperit tamquam idiotas et latine littere ignoras. Asserens atque legens aliter instrumenti tenorem, quam erat in ea conscriptum, licet in ipso instrumento, longa alia tempora sit contenta. Que Rugerius nos qui supra iudicem, notarium publicum, et testes subscriptos ex regia parte requisivit, et ex sua rogavit nostrum super hoc officium implorando, ut de assertionem, confessionem, et iuramento predictorum Nicolai de Rhegio, Theodori

atque Nicolai ei conficeremus publicum instrumentum ad cuiuscumque expedierit cauthelam. Nos vero, ipsius Rugerii petitionibus, iustis ut pote inclinati quia predicti testes, predictam coram nobis confessi fuerunt, ut superius enarrantur, et in nostra presentiam predicta omnia sicut sunt acta, ut scribitur conscripta et sic nobis constat predicta omnia vera esse de eorum assertione predicta.

Ad cauthelam predicti Rugerii, et certitudinem futurorum eidem Rugerio fecimus de premissis presens publicum instrumentum, scriptum et subscriptum per manus mei qui supra notarii publici, nostrum qui supra iudicis et subscriptorum testium, subscriptionibus roboratum. Actum anno, die, mense, loco et inditione premissis. Signum crucis proprie manus mee Nicolai de protopapa, qui supra iudicis terre Sinopolis nescientis scribere nesciens, nomen et cognomen. † Ego predictus notarius publicus rogatus ipsius scripsi. † Ego Franciscus Zarbus testor. † Ego Rugerius Tisono de Mileto testor. † Ego presbyter Nicolao de Regio testor. † Ego Thomasius de Amantea predicta testor. † Ego Petrus Flumari testor. † Ego Ioannes de Ayuna de Rhegio predicta testor. † Ego Petrus de Guizzaramo qui supra regius publicus Notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per curiam ordinatus predicta scripsi et me subscripsi.